Propercii Aurelii Naute · 1.
Monobiblos Incipit feliciter

Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis.
Contactum nullis ante cupidinibus.
Tum mihi constantis deiecit lumina fastus
Et caput impositis pressit amor pedibus.
Donec me docuit castas odisse puellas
Improbus & nullo vivere consilio.
Et mihi iam toto furor hic non deficit anno.
Cum tamen adversos cogor habere deos
Milanion nullos fugiendo tulle labores
Sevitiam dure contudit yasidos.
Nam modo partheniis amens errabat in antris
Ibat & hirsutas ille videre feras
Ille etiam psilli percussus vulnere rami
Saucius archadiis rupibus ingemuit.
Ergo velocem potuit domuisse puellam
Tantum in amore preces & benefacta valent.
In me tardus amor non ullas cogitat artes
Nec meminit notas ut prius ire vias.
At vos deducte quibus est fallacia lune
Et labor in magicis sacra piare focis
En agedum domine mentem convertite nostre.
Et facite illa meo palleat ore magis.
Tunc ego crediderim vobis & sidera et amnes
Posse cytaeinis ducere carminibus.
Et vos qui sero lapsum revocatis amici
Querite non sani pectoris auxilia.